

Johann Festing

Johannis Festingii, I.U. Doctoris & Antecessoris Megapolitani Meditatio Academica De Numero Auditorum In Academiis. exposita in praefatione, cum inciperet publice interpretari materiam iuris practicam de Successione tam ex testamento quam ab intestato, Anno MDCLXXXVII. die XVII. Octobr.

Rostochii: Typis Richelianis, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn78482133X>

Druck Freier  Zugang



R. W. phil 1687
Festing, Johann

JOHANNIS FESTINGII,
J. U. Doctoris & Antecessoris Mega-
politani
MEDITATIO ACA-
DEMICA
De
NUMERO AUDI-
TORUM IN ACA-
DEMIIS.

exposita in præfatione, cum inciperet publicè
interpretari materiam juris practici de Successione
tam ex testamento quàm ab in-
testato,

Anno M DC LXXXVII. die XVII. Octobr.

ROSTOCHII, Typis RICHELIANIS.





PROGRAMMA

Ad Florentissimos Jurisprudentiæ Cultores Studiosos.

Solent etiam consilia boni Academici ab iis proficisci, quorum vita omnibus studiis destinata est, & qui Academiarum amant domicilia. Sicut autem facile causas incrementi aut decrementi inde deprehendunt multas, unde aliis etiam Academicis aliquando vel bene vel male fuit, imo quotidianis instruuntur experimentis: ita maxime laborare decet, quò ipsi nihil neglexisse videantur, quod Academicis prodesse queat. Erga cum officii moneat ratio, ne omnino sileat Professoris studium, sed innotesciat: non majus quodquam mihi preceptum visum fuit, quam publicis etiam Praelectionibus satisfacisse honestis desideriis. Has elegi de Successione tam ex testamento quam ab intestato, eâ mente, ut ex practicis utilitatibus componatur oratio, firmisque hæc insistat principiis, quorum ratio possit aliquando confirmare animum, si (quod absit) alea non prosperè satis jacta aliquibus videatur. quandoquidem si bonis suam quis probaverit iudiciam, ab usque, præmiis non indignus judicatus fuerit, qui eadem distribuendo dignitatem addunt conspicuam, non tantopere dolebit is incongruam fortunam. Vos autem Cultores Jurispr. florentissimi, Vos estis, quorum utilitates promovere multis monemur momentis nostraque conscientia. Vos quam humanissime invito. Adeste hisce Lectionibus ad utilitatem vestram dirigendis, attentisque auribus castro die & sequentibus ea accipite, quæ vobis futuris Clientum patronis aut iudicibus magno possunt esse emolumento. Fient autem Praelectiones istæ in Auditorio Jurid. ab hora X. matutinâ in XI. m. quod tempus Professioni Pandectarum ordinarium est. V. S. F. Dab. d. 16. Octobr. A. 1687.

Præ-

Præfatio s. Meditatio
De
NUMERO AUDITORUM
in ACADEMIIS.



Spem ego ceperam, A. H. fore, ut in
Academia nostrâ ex assiduis Profes-
sorum studiis promoveretur Ju-
ventutis commodum, & in felicitate
juventutis cresceret Salus Acade-
miæ. Sanè non unâ vice legimus ac
audivimus exprobratum Professo-
ribus silentium, si diu non contigerit
Auditoribus eorundem audire sermones aut docendi ar-
tem experiri. Nam quò magis *sonant* Auditoria, eò magis
etiam creditur futurus *Studioforum concursus*. Equi-
dem speculatus diu fui incrementum & decrementum
Academiarum, & ex meâ parte remove re studui, si quid
mali obvenire poterat. Hinc postquam in eo mu-
nere, quod *Serenissimus ac Celsissimus* meus *Princeps* cle-
mentissimè mihi demandavit, cognovi, maximum inesse
momentum pro salute Academiae promovendâ, sopo-
rem abesse longè latèquè volens assiduâ diligentia eam pa-
rari mihi viam, cui insistendo satisfacerem meo muneri.
Veruntamen cum elegeram Lauterbachii Thesaurum
exponendum, ecce! tantum fuit meorum temporum in-
fortunium, ut coactus demum fuerim ab *utili isthac operâ*
desistere. Sic dein multis vibratus rerum fortunarumq; vi-
cissitudinibus, officii tamen nunquam immemor, sedulo
mecum meditatus sum, quanam in re possem placere
plurimis, optimequè muneris peracti rationem reddere.
Videbantur quidem *pauci* sufficere, ut abrumpere publi-
cos sermones nollem; sed quia in votis tamen est cujus-

vis Professoris, *frequentes* numerare posse *Auditores*, hujus rei nec minima fuit cura: maximè, cum poteram videri doloris non expers, si voto non convenisset Audientium præsentia. Hoc intuitu unusquisq; bonus speculatur veram docendi rationem & perplacuisse discipulis. enimverò quis nescit gaudium hominis, qui suos labores gratos multitudini cognoverit, & applausum meruisse publicum gratâ quis non revolvit memoria? Ea alioquin hominum est natura, ut præmia magis expetant, siquid boni ab ipsis exspectari debeat. Gratis magni rarò videntur hominum labores esse, quorum non nisi in dulcedine omnis est voluptas. *Honos* autem ac gloria probi animi optima habetur merces; indeq; satis sibi fecisse putat optimè qui plurimum indeptus fuerit. Quinimò crescit *Academia gloria*, si bonos laudatosq; Professores habuisse ex plurimorum votis comprobatum fuerit. Sanè *reipublica* sua qui devovit studia si quando inde nata ipsi perspexerit commoda, certò paratam cernit palmam. Quamvis autem in unaquaq; bonâ civitate honoretur *virtus*: is tamen honor intra mœnia sæpe unius continetur urbis; sed *Academia* lucem addidisse, id verò *innotescit* orbi. Sic major ei gloriæ fiducia, qui majori Auditorum numero stipatus fuerit: cum enim ad diversa loca avolent, non velociore famæ alas sibi exoptare poterat Professor, quàm horum suffragia. E contrario *tristis* habetur eorum conditio, qui Auditores investigare debent; hi excandescere solent, quæri de juvenum negligentia, culpam ad ipsos referre, excludere, à benignitatis suæ gratiâ, cum alii in sinu gaudeant, insultent, & sibi monopolium videantur quæsisisse. Quinimò si quibus ex voto non successerit opera, hi aliis invidere, evertere eorum messem, si modo queant, omnem ad hoc artem putare bonam. Verum enim verò adeon' sæpius tamen *externâ* saltem *specie* fallimur homines? Scilicet imbecillitas quædam naturæ humanæ est communis, ut quæ ostenta

stenta fortunæ oculis conspiciunt, per *causas* nolint cognoscere. Suis confidunt meritis, cum tamen rationes esse possint, ex quibus vel minus vel nequaquam gaudere debeant. Similiter evenit, cum *amula* natura cernit proximi progressum & applausum, sibi etiam habere cupit, unde dolor, cum fit in compos voti. Sed utinam *veras* cognoscerent *rationes homines*, hinc *dolori* foret *medicina* optima: inciperent revocare animum, nec dolerent magis, qui minus vel non dolere debent; nec dolerent minus, quibus cauterio opus est. Scilicet unusquisque Doctor publicus eo debet respicere, ut de *materia* dicat necessariam & utili, *modus dicendi* sit elegans, & *ipsa dictio* erudita. *Hanc* si servaverit bene prudenterque *regulam*, omnem aspernabitur adversam sortem, si eam in brevi numero invidia, si alia causa moverit. Tum verò *hac* erit quædam quasi *trutina* quâ examinare possit qui non sibi soli sapit aut in minimis majora captat, an dignus sit applausu isto, quem nonnunquam à malè consciis reportari sapiens existimat. De *materia* quidem non semper unum potest ferri iudicium. Habent Professores hujus Academiæ determinatas suas ab antiquitate materias, Professor Institutionum Institutiones & titulum de Reg. Juris, Professor Pandectarum Pandectas, & alii alias Jurisprudentiæ partes. Hi absolvunt doctrinam *vel* per universum Systema; *vel* etiam per *partes* eligunt, in quibus maxime lactari videatur Auditorum spes ac desiderium. Perfectò *utroque* optimè: nam si quando universi Pandectarum aut Codicis Systematis instituat tractatio, poterit assidua Auditorum diligentia emolumentum inde capere non exiguum & adventantis subinde Studiosi in materiâ difficili satisfieri desiderio. Nec minus si quidem per partes jura docere velit Professor, poterit in illis partibus expectari limatior quædam interpretatio. Sed *illud interest* inter hoc particulare studium & universale istud

istud, quòd *particulare* sustineatur vel mediocri Studio-
rum copiâ, *universalis* autem, nisi quotidie ex novis Audi-
toribus suppleatur concio, diuturnum non fit exerciti-
um: pauci enim sunt, qui finem immodici temporis ex-
spectare velint. Deinde *utilis* etiam *materia*, quæ jucun-
ditate quâdam afficiat Auditores, commendat Professo-
rem. Nullus est minoris etiam fortunæ artifex, qui nolit
curiositates artis explorare; multò minus Jurispruden-
tiæ Studiosus volet eorum ignarus esse, quæ curiosè inter
suos ventilantur; Imò cum suis velint aliquando curis
confidere audaculi, qui Doctorum spernunt operam, non
unius tamen esse diei agnoscent istiusmodi studium. Non
potest non placere, si contingat unâ horâ discere, quibus
colligendis non sufficerent plures dies. Ingens utili-
tas juvenum est, habuisse sedulos laboratores Professores.
Porro *modum dicendi* commendat *elegantia*. Quò facili-
or fuit oratio, eò amabilior est, & hæsitare, manducare
verba, quærere, nullum est encomium Professoris. Pla-
cent bellaria, si apponunt, sed magis placent, si in aureo
vase magis splendide apposita sint. *Barbara* loqvela tur-
pat optimam materiam; Sed licet fuerit mediocritas in
materiâ, summis tamen laudibus fuisse deprædicatam
eam accepimus, ubi elegans dicendi modus compensa-
vit mediocritatem. Demum oportet *doctam* esse *dictio-*
nem. Non sufficit ex uno commentariolo aut compen-
dio sibi sumere, quæ in materiâ necessariâ aut utili profer-
rantur. hoc enim tale exercitium est, quod adventantes
novi Justiniani seu primi anni Auditores imitari queunt.
Quin pauperis videtur Doctoris esse, nno tantum ex libro
sapere velle. Sed conquirat necesse est, quod sibi fiet u-
sui ex laudatissimorum virorum scriptis. Hæc sunt in-
star ciborum, qui in splendidissimo convivio apponun-
tur; carpat sibi quisquis volet, modò suum laudet bene-
factorem & liberalitatem ejus evehat, qui ipsum variâ re-
plevit

plevit doctrinarum dulcedine. Ceterum *omnis* mali una cautio atqve una provisio est, *ut ne nimis divagetur Doctor*, sed ad propositam materiam commodè sint directa omnia. Et sanè qvî poterat placere Juris Professor, qvî cum testamentorum jura interpretaretur, vellet circa numerum testium Septenarium nimum hæere, & per varias res septenarii numeri vim & auctoritatem vel tribus vel duabus vel unâ totâ lectione explicare. Næ id aliud non foret, qvàm eum, qvî Viennam tenderet necessario itinere, velle per Belgium, Angliam, Galliam, Italiam ad Urbem ducere; qvis autem qvantocyus talem non dimitteret ducem? Accedit *ultimum* momentum qvò pro incremento Auditorum facit, & nihil aliud est, qvàm *continua Lectio Series*. Excitat Auditor studium; sed non minus industria Doctoris excitat Auditorem. *Firmatur* inde fiducia, qvàm in Professoris diligentia sibi proposuerunt Juvenes; *admonentur* illi, ut dum sine interruptione procedit sedula Doctoris industria, ipsi ordinem non deserant, nec, dum ille non metuit turbines ac pluvias, ipsi tuguriola qværant. Verum *si* crebræ fiant *interruptiones*, *desperant* juvenes, & sine fine exoptato, qvem videre non videntur, nec sectantur studium. *Turbatur* etiam memoria, qvæ sine serie non capit materias diversis vicibus dissipatas; ne dicam, qvò incerti juvenes sæpe *vacuam* sine doctore *carhedram* visitare *nolint*. Hæc mecum sedulo perpendens, sicut fugere studii defectum Auditorum: ita laborandum duxi, qvò placerem generosæ juventuti, & Superiori possem muneris peracti rationem reddere. Materiam elegi de *Successione tam ex testamento quam ab intestato*, necessariam sanè utilemqvè, & eam, cujus particularis tractatio non tempus immodicum requirat diligentia, neve excludat diffusioris studii intervalla. Sed neqvè ex uno omnia commentariolo recitare animus est qvî potius ex variis libris optimos qvosqvè flores colligere

gere volupe erit, quibus aliquando suas possint exornare
fortunas Advocati, non secus atque floribus olim fores
suas coronarunt forensium causarum victores. Quini-
mò nec ferias numerare satagam; potius non interrupta
feries felicem pollicebitur eventum, quem procurare la-
borabo abstinendo ab iis, quæ ad rem facere non videntur,
aut nimium aberrant à proposito scopo. Verum id uni-
cum tamen maximè excusandum erit, quod non possim
ex me hodie polliceri dictionis elegantiam. etenim sicut
tam ab ingenio illud dependet quàm à tranquillo studio:
ita inde minus, hinc autem nec plurimum mihi polliceor.
Intereà quoniam nec semper ab omni parte unumquod-
què beatum est, & mihi veniam non denegaturos esse con-
fido, qui ab omni humanitate non videntur alieni. Hoc
ultimum summopere contendo à vobis obtinere A. H. ut
adhæreatis fideli præsentia. Largimini, quæso, non sal-
tem Professori, ut possim strenuissimo bonisque omnibus
rationem reddere muneri peracti; Sed agite, ut vestrum
amantissimus possim gloriari de vestra perenni benevo-
lentiâ, quam jure meritoque magnificatio lubensque pro-
voco. * Is autem qui verus est fons luminis & Sapientiæ
atque supereminens principium, DEUS T. O. M. infundere
dignetur super intellectus tenebras suæ charitatis radium
duplicem, quò removeat peccatum & ignorantiam, in quâ
nati sumus: qui lingvas infantem facit disertas, lingvam
erudiat, atque in labiis gratiam suæ benedictionis infundat.
Det intelligendi acumen, retinendi capacitatem, discendi
facilitatem, interpretandi subtilitatem, & loquendi grati-
am copiosam. Ingressum instruat, progressum dirigat,
egressum compleat; faxitque, ut cum Academiæ incre-
mento, Justitiæ augmento, & generosæ juventutis emo-
lumento feliciter procedat hæcce omnis
nostra oratio.

*
*hæc pre-
catio extat
inter Pla-
netas Chri-
stian. Rutg
Ruland. p.
m. 276.*



C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

344

4.5
3.0
1.5

UB Rostock

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

the scale towards document

gere volupe erit, quibus aliquando suas possint exornare
 fortunas Advocati, non secus atque floribus olim fores
 suas coronarunt forensium causarum victores. Quini-
 mō nec ferias numerare satagam; potius non interrupta
 ferias felicem pollicebitur eventum, quem procurare la-
 borabo abstinendo ab iis, quæ ad rem facere non videntur,
 aut nimium aberrant à proposito scopo. Verum id uni-
 cum tamen maximè excusandum erit, quod non possim
 ex me hodie polliceri dictionis elegantiam. etenim sicut
 tam ab ingenio illud dependet quàm à tranquillo studio:
 ita inde minus, hinc autem nec plurimum mihi polliceor.
 Interea quoniam nec semper ab omni parte unumquod-
 què beatum est, & mihi veniam non denegaturos esse con-
 fido, qui ab omni humanitate non videntur alieni. Hoc
 ultimum summopere contendo à vobis obtinere A. H. ut
 adhæreatis fideli præsentia. Largimini, quæso, non sal-
 tem Professori, ut possim strenuissimo bonisque omnibus
 rationem reddere muneris peracti; Sed agite, ut vestrum
 amantissimus possim gloriari de vestra perenni benevo-
 lentiâ, quam jure meritoque magnifacio lubensque pro-
 voco. * Is autem qui verus est fons luminis & Sapientiæ
 atque supereminens principium, DEUS T. O. M. infundere
 dignetur super intellectus tenebras suæ charitatis radium
 duplicem, quò removeat peccatum & ignorantiam, in quâ
 nati sumus: qui lingvas infantem facit disertas, linguam
 erudiat, atque in labiis gratiam suæ benedictionis infundat.
 Det intelligendi acumen, retinendi capacitatem, discendi
 facilitatem, interpretandi subtilitatem, & loquendi grati-
 am copiosam. Ingressum instruat, progressum dirigat,
 egressum compleat; faxitque, ut cum Academiæ incre-
 mento, Justitiæ augmento, & generosæ juventutis emo-
 lumento feliciter procedat hæcce omnis
 nostra oratio.

